



4.


1764, 3 / 9

DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS
 DE
 DIFFERENTIIS IVRIS
 CIVILIS ET LVBECENSIS
 IN
 ARGVMENTO
 IVRAMENTORVM

QVAM
 ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
 INDVLTIV
 PRO
 SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
 RITE ADQVIRENDIS
 IN AVDITORIO SOLENNI
 D. MAII CIDICCCLXIV.
 PLACIDO PROCERVVM ACADEMIAE
 EXAMINI SVBMITTIT

P. 22

IOANNES CASPARVS
 LINDENBERG
 LVBECENSIS.



GISSAE,
 APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN.





VIRO
PERILLVSTRI, MAGNIFICO,
EXCELLENTISSIMO ET CONSVLTISSIMO
DOMINO
DN. HENRICO DIETERICO
BALEMANN

SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE REIPVBLICAE LVBECENSIS
CONSVLI MERITISSIMO
AVVNCVLO SVO
VENERANDO

HANC DISSERTATIONEM

OBSERVANTISSIME
OFFERT

AVCTOR
IOHANN CASPAR LINDENBERG.



PROOEMIUM.



Quamuis multae in iure occurrant doctrinae nondum satis explicatae arduae, quaestio de iureiurando praecipue tamen perlustrari euoluique meretur, cum haec ob summam, quam praestat in vita humana vtilitatem, ad Iureconsultorum accuratam cognitionem maxime sit necessaria. Est enim Iurisconsulti boni & religiosi, quo non vilescant iuramenta,

A


nimia



nimia in iudicio & praecipue ea, quae ob leues res praestantur, impedire iuramenta, maximeque contendere; vt omnia ob communem reipublicae salutem euitentur periuria. Nam cum iuramenta solummodo & ad sinceritatem iurantis declarandam, & ad eruendam melius rei veritatem praestari debeant, nunquam ad iuramenta confugiendum est, si vel sine iis vera erui possint, vel etiam adhibito iureiurando res tamen incerta maneat, vel res non sit tanti ponderis, vt ideo Deus tanquam vindex & testis inuocetur. vid. *Henrici Bodini diss. de licito vsu & grauissimo abusu iuramentorum* & *Ioh. Wilk. a Goebel in diss. de origine vsu & abusu iuramentorum*. Optandum sane esset, vt conditio hominum ita esset comparata, vt omnibus iuramentis carere possemus, solisque contestationibus & affirmationibus contentus alter alteri fidem haberet, & vnusquisque nullo adhibito iuramento promissa & pacta seruaret! Optandum esset, vt viueremus instituto maiorum nostrorum & sequeremur Germanorum antiquorum vestigia, apud quos regnabat sola fides sinceritasque, quare *Tacitus l. 13. animalium nullos, inquit, mortalium armis aut fide ante Germanos esse*. Ex quo ortum etiam inter eos est proverbium: **Ein Wort ein Wort, ein Mann ein Mann**. Quamobrem etiam iuramenta in primis temporibus Germanis ignota fuisse reperimus. Manus enim apud illos fuit solummodo obli-

obligationis signum. Nam data dextra manu promissa sua & pacta confirmarunt, quod in primis de *Frisiis* testatur, *Vbbo Emmius rerum Fris. l. 2.* qui *Frisii*, ait, *verba pro litteris dextram pro iuramento habebant*, de qua fide manuali vero vim iuramenti habente iure germanico antiquo prolixius egit *Perillus Dreyerus in comment. de fide manuali Germanorum & traditione per chirothecam*, quae legitur in *Miscellaneis T. V. P. 4. p. 621 - 654.* Equidem scio esse quosdam, qui iuramenta iam antiquissimis temporibus apud Germanos usitata fuisse putant, quod ex *Tacito de M. G. cap. 14.* probare student ubi *illum*, (principem) ait, *defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare, praecipuum sacramentum est.* Sed hi Taciti verba haud intelligere mihi videntur, quae optime tamen interpretatur *Coringius in notis ad Tacitum de M. G. pag. 44.* dum monstrat, Tacitum explicare voluisse, tantam fuisse fidem aemulationemque spontaneam, quam Germani principibus suis praestiterint, ut esset iuramenti vice, quo alias, ut apud Romanos, miles solebat adstringi. Praeterea nullum etiam apud Germanos antiquissimis seu primis temporibus exstat iurisiurandi vestigium, fidei vero singularis sinceritatisque multa habemus documenta. Cur igitur eos ad iuramenta confugisse credemus, cum iam sine iuramentis per solam fidem suam sinceritatemque omnia efficere eos potuisse

con-



confer? Postea vero relictis veteribus moribus paulatim etiam Germani antiquam fidem sinceritatemque dimittebant, tumque etiam necesse fuit ut eligerent remedia, quibus restituerent pristinam fidem stabilirentque sanctitatem promissorum, & tunc orta est consuetudo execrabilis monstrandi sinceritatem probandique res occultas per probationes vulgares. Indeque nata est probatio seu purgatio vulgaris per aquam frigidam, per aquam calidam seu feruentem, per ferrum candens, per vomeres ignitos, per sacram eucharistiam, per iudicium fortis, per iudicium duellicum, per crucis iudicium & reliqua. De quibus vberius legi potest *Perillustres I. C. Dreyeri Sammlung vermischter Abhandlungen T. I. pag. 175. T. II. p. 829-894. & Beckmann de iudiciis Dei.* Cum vero iniquum & impium hunc per probationes vulgares esse, Imperatores & patres agnouerunt, probandi modum, abrogatae tandem sunt Imperatorum mandato & conciliorum canonibus, ita ut in harum locum iuramenta succederent omnisque iam probatio in iudicio per iuramentum absolueretur. Ex quo orta est consuetudo iurandi per arma, ad capulum ensis, ad reliquias & tumulos sanctorum, ad crucem, super caput pecudis & alia, de quibus vid. *Perillustres Dreyerus l. c. pag. 175. seq. & pag. 894. itemque Carolus du Fresne in Glossario sub voce iuramentum.* Non vero admodum laudabilis fuit haec pro-



probationum mutatio. Nam multiplicabantur nimium iuramenta, ita vt vilescerent, tum quoque, ea qua iam praestabantur ratione, non modo superstitioni & impietati; verum etiam periuriis locum aperiebant. Quamuis vero nostris temporibus omniam a iuramentorum praestatione remota sit impietas superstitioneque, iuramenta tamen apud nos etiam, vt apud veteres, vt aptus & frequens probandi modus in iudicio considerantur. Quare iam promissa & pacta iis confirmantur, facta incerta probantur, quin saepe tota lis deciditur. Cum igitur tanta nunc in iudicio iuramentorum sit vis atque auctoritas & consuetudo, Iureconsultum in hac doctrina maxime versatum esse oportet. Equidem cum de iuramento quaedam differere constitui & instituti ratio non permittit, vt omnia euoluam, quae in iure de iure iurando docentur, relictis aliis, breuiter tantummodo Iuris Ciuilis & Lubecensis in hac doctrina differentiam monstrabo pro viribus.

B

Q. D. B. V.



Q. D. B. V.

§. I.

De Iuramento in genere.



In Iuramento in genere, quod est inuocatio Dei tanquam testis & vindicis si non vera dicamus, distingui possunt, tam essentialia quam accidentalia siue solennia. Quamuis vero in solennibus iuramenta differre possint; in essentialibus tamen omnia conuenire debent. Quare hoc apud omnia, quae praestantur iuramenta obseruandum erit, vt is qui rite iurare debet, & iuramenti naturam perspicue cognoscat, & veritatem rei aut facti profiteri possit & velit, maximeque vt timore Dei inducatur ad vera loquenda. Ex quo sequitur, nec rite iurare posse eos, qui ob aetatis aut animae defectum non habent distinctam perspicuamque iuramenti cognitionem, neque eos, qui Deum non credunt aut plane



ne nullam de eo habent notitiam, neque eos, qui metu iniusto aut dolo ad iurandum impelluntur. vid. I. C. Naevii *diff. de iuramentis illicitis inofficiosis & temerariis*. Cum autem accidentalibus pro temporum locorumque diuersitate differant, ea omnia hic recensere instituti ratio non permittit: de quibus vid. Ludouici *diff. de solennibus iuramentorum*.

§. II.

Ex fine vero ob quem iuramenta praestantur, *Diuersae* oritur iuramentorum diuersitas, siue diuersae illo-
iuramento-
rum species. Omne enim iuramentum praestatur vel *rum spe-*
quo alteri fidem rei aut praestationis futurae faciamus, *cies*.
vel quo veritatem facti aut rei, ad probandam rem aut litem decidendam, eruamus. Quare iuramento vel promissa nostra confirmantur, vel veritas asserti cuiusdam corroboratur. Si fit prius, iuramentum vocatur *promissorium*. Si posterius, *assertorium*. Ad iuramentum assertorium praestandum si lege aut iussu iudicis obligamur, iuramentum dicitur *necessarium* seu *legale*, si vero illud nobis ab alio defertur, appellatur *voluntarium*. Qui vero iussu legis aut iudicis ad iurandum cogi potest, aut ideo iurare debet, quo ad decisionem litis directam peruenire possimus, ex quo oritur *iuramentum litis decisorium*, aut ideo tantummodo, quo circumstantia quaedam in processu orta tollatur, seu



seu vt ita loquar, punctum incidens decidatur. Praestat autem iuramentum litis decisorium vel probans, quo probatio sua haud plena nec sufficiens confirmetur & compleatur, quod dicitur iuramentum *suppletorium*, vel is qui iudicis, sed non ad condemnationem sufficientibus, grauatus est, quo iudicia haec debeat, quod nominatur *purgatorium*, vel quo rem in litem deductam aestimemus, quod est *iuramentum in litem*, vel iniungitur istud iuramentum testibus ad testimonium suum confirmandum, quod appellatur iuramentum *testimoniale*. Ad iuramenta vero quibus indirecte fit causarum decisio, aut quo punctum incidens modo deciditur, imprimis pertinet *iuramentum calumniae*.

§. III.

Praemissis variis Iuramentorum praecipuis speciebus, iam necesse est, vt singula secundum ordinem tractemus. Quare agendum est primum de iuramento *promissorio*. Est vero natura iuramenti promissorii, vt antecedit promissum, quod iuramento tantummodo corroboratur. Quare omnia quae intuitu huius Iuramenti in iure Romano docentur, ex promissi natura & conditione explicantur, quoniam est huius accessorium vid. *L. §. C. de LL.* Ex quo concludebant Romani: quale est promissum tale etiam

De iuramento promissorio secundum Ius Civile.

etiam est iuramentum promissorium. Si igitur promissum est validum, iuramentum promisso adiectum nouam addit obligationem seu potius nouam causam mouentem ad promissum illud seruandum. Si vero promissum iam est inualidum, tum etiam ex iuramento promissorio nulla oritur obligatio, quoniam iuramentum est solummodo confirmatio promissi, & si promissum est conditionatum, iuramentum etiam promissorium est conditionate assumendum. Ex eodemque principio sequitur, iuramentum promissorium nunquam esse extra fines promissi extendendum vid. *l. fin. ff. qui satisd. cog.* Et haec Romanorum de iuramento promissorio doctrina mihi magis rationi conuenire videtur, quam Iuris Canonici, quod iuramentum promissorium tamen obligatorium esse vult, quamuis ipsa promissio sit inualida, si modo non repugnet legibus diuinis aut naturalibus. *C. 18. & 28. X. de iurei. C. 2. eod. in 6. Rotermundt de iureiurando actibus inualidis adiecto §. IV. Ludouici de brocardico: omne iuramentum seruandum esse, quod salua salute aeterna seruari potest.* Hoc autem iuramentum promissorium est vel iudiciale vel extraiudiciale. Iudiciale vocatur si iudex aut personae iudiciales eo obligantur, ad officium suum summa fide, cura diligentiaque administrandum. Occurrit tale iuramentum iudicis in Iure Ciuili *l. 14. pr. C. de Iudic.* Caeterum etiam assessores iudicii, nuntii, lecto-



res &c. eiusmodi iuramento ab initio officii sui obligari solent vid. *O. C. P. 1. T. 57. 59. 62.* Iuramento autem *extrajudiciali* omnes causae extrajudiciales tam publicae quam priuatae confirmantur.

§. IV.

*Secundum
Ius Lubecense.*

Ius Lubecense, in quo multa iuramenti promissorii vestigia reperimus, a Iure Ciuili non discedere videtur. Inuenimus autem in Statutis Lubecensibus primo iuramenti iudicialis exempla. Nam a iudicibus ab initio officii sui hoc iuramentum esse praestandum testatur *art. 2. Lib. V. Tit. 11.* vbi haec verba: *die Gerichtsvögte sitzen im Gericht auf ihr Ehr und Eyd.* Porro notum est, Procuratorum, quod praestant coram senatu de seruando iudicii ordine, iuramentum, de quo agit *art. 5. l. V. T. II.* & cuius iuramenti formulam reperiemus in *den Gerichts=Ordnungen.* Ad iuramentum vero *extrajudiciale* referri potest iuramentum illud fidelitatis *der Bürger = Eyd*, quo is, qui ciuitatem consequitur, magistratui & ciuitati fidem & obedientiam fidelitatemque promittit, cuius formula legitur in *der gründlichen Nachricht von Lübeck Cap. VIII. pag. 87.* Huc etiam pertinet iuramentum Seniorum Collegii, *der Aelterleute*, cuius mentio fit *l. IV. T. XIII. art. 3.*, quodque praestare debent, si-
mulac-

mulac collegiis suis tanquam seniores praefecti sunt. Promittunt autem seniores hoc iuramento quod ciuitatis salutem curare, collegio fideliter praeesse, eiusque negotia optime administrare velint. Et l. IV. T. XV. art. 4. dicitur Seniores Collegii Pistorum prae caeteris eiusdem collegii membris puniendos esse, si officio suo non satisfaciant, quoniam singulari iuramento promissorio sese obligauerint. Ex quibus igitur iuramenti promissorii in foro Lubecensi vsus & frequentia satis superque apparet, nec dubium est, quin idem iuramentum in reliquis causis, vbi aliquid praestandum aut exhibendum aut soluendum promittimus, locum habeat.

§. V.

Progredimur ad alteram iuramenti speciem, qua veritas asserti confirmatur, nempe ad iuramentum *assertorium*, quod, vt supra vidimus, est vel *voluntarium* vel *necessarium*. Quare hic primo agemus de iuramento *voluntario*, siue eo, quod defertur a parte probationis gratia. Quoniam autem iuramentum a parte nobis deferri potest vel in iudicio vel extra iudicium, iuramentum voluntarium merito diuidi potest in *iudiciale* & *extraiudiciale*. Iuramenti vero voluntarii siue iudicialis siue extraiudicialis secundum Ius Ciuile ea est ratio, vt sequatur naturam transactionis. l. 2. l. 17. ff. de Iurei. & l. 12. §. 1. C. de iurei.

De Iuramento voluntario
sec. Ius Ciuile.

Nam



Nam litigantes inter se hic quasi transigunt, vt dubium litis euentum conscientiae alterius committant. Cum igitur iuramentum voluntarium sequatur transactionis naturam, quae est instar rei iudicatae, necesse est, vt hoc iuramentum habeat vim rei iudicatae. In hoc tamen differt Iure Ciuili iuramentum iudiciale & extraiudiciale, quod illud praestetur secundum solennia iudicii, & iudice dirigente: hoc vero sola partium voluntate & arbitrio. Praestari autem potest hoc iuramentum in quouis negotio, cuius praestaturus certam & plenam habet notitiam, & super quo illi est transigendi facultas. Si vero iurandum est de facto tertii, cuius quis non certam sed probabilem tantum habeat notitiam, tunc praestandum solummodo erit iuramentum credulitatis. vid. *Lauterbachii diss. de Iuramento credulitatis.*

§. VI.

De Delatione.

Imprimis vero, cum in hac iuramenti specie alter iuramentum deferat, alter vero acceptet, obseruandum hic erit, an habilis sit referens & acceptans, quare etiam hic omnia sunt applicanda, quae alias docentur de habilitate iurantis. Illud vero in specie est notandum, quod vnusquisque iuramentum deferre possit, qui habet de negotio contro- uerso transigendi facultatem. Quare etiam procura- tores

tores a facultate deferendi iuramentum excluduntur per l. 18. ff. de iurei., nisi speciale mandatum habeant l. 17. §. ult. ff. eod. Deferri autem potest hoc iuramentum non modo ab initio, verum etiam in progressu causae; si modo terminus probatorius nondum sit elapsus l. 12. C. in fin. de rebus cred. & l. 35. ff. de iurei. Quin ius Ciuile permittit adhuc delationem, quamuis quis probatione defecerit per l. 11. C. de reb. Cred. De fatali igitur delationis iuramenti haec notanda sunt, quod Ius Ciuile tamdiu iuramenti delationi locum relinquat, quamdiu probatio nondum est praecclusa l. 25. §. 3. de prob. Quamobrem vel constitutus est lege aut a iudice terminus probatorius vel non. Si prius, hoc ipso termino iuramentum deferri oportet. Si vero posterius, tum iuramenti delatio a partium arbitrio dependet. Quando autem alicui iuramentum delatum est, tum potest is *De Accusatione.* Iure communi aut iuramentum acceptare, aut re-ferre, aut conscientiam suam probationibus defendere. Per se vero patet, aduersarium non posse cogi ad iuramentum delatum praestandum, cum sit voluntarium, quod sola nititur conuentione & transactione, ad quam nemo cogi potest. Atamen declarare debet pars aduersa quid illi placeat. Nam sufficit simplex declaratio absque vlla solennitate. Neque etiam haec declaratio secundum Ius Ciuile ad fatale quoddam adstricta est. Si vero semel accep-
 C praue-



prauerit iuramentum aduersarius, seque ad illud praestandum obtulerit, secundum Ius Ciuile in conti-
nenti iurare tenetur *l. 5. §. ult. ff. de iurei.*, nisi dilatio
a iudice ad instantiam partis concessa sit *l. 34. ff. de
iureiur.* Et si acceptans morte impediretur ad iura-
mentum acceptatum praestandum, non dubium est,
quin ab haeredibus adhuc praestari possit iuramen-
tum credulitatis, nisi ex singulari ratione iuramen-
tum praestandum habeatur pro praestito vid. *Stryck
diff. de morte loco iurisiurandi.* Quemadmodum au-
tem acceptantem iuramentum praestare oportet,
ita etiam deferens iuramentum delatum facta accepta-
tione reuocare nequit *l. 11. C. de reb. cred.* nisi adsit
fumma periurii suspicio vid. *Textoris diff. de reuoca-
tione iuramenti delati.* Potest etiam secundum Ius Ci-
uile post iuramenti delationem aduersa pars, si dela-
tum iuramentum non praestare vult, illud deferenti
referre *l. 9. C. de reb. cred.*, sed declarare hoc debet
aut verbis aut scriptis. Relatio vero Iure Ciuili fieri
potest vel simulac delatum est iuramentum, & ante-
quam a iudice super delatione lata est sententia, vel
etiam post iudicis latam sententiam. Tum vero re-
latio tantummodo locum habet, si facta, quae iura-
mento confirmari debent, sunt communia aut aliena
i. e. talia de quibus vtraque pars notitiam habet,
non vero si factum est proprium siue tale, quod al-
tera pars quidem noscit, de quo autem illa, quae
iuramentum praestare debet, nullam plane habet
scien-

De rela-
tione.

scientiam. *l. 34. ff. pr. de iurei. l. 53. ff. ver. amot.* Cui vero semel iuramentum relatum est, is hoc simpliciter praestare tenetur, neque aliis probandi modis a praestatione se liberare potest, sed potius iurare recusans pro confesso habetur. *l. 22. §. 1. C. de reb. cred. vid. Lauterbachii & Wildvogelii diss. de relatione iuramenti.* Ad iuramentum vero siue delatum, quod De praefacta acceptatione, siue relatum, quod simpliciter statione iuramentum. praestari oportet, secundum Ius Ciuile requiritur, vt praestetur in termino a iudice vel ad instantiam partis vel ex officio constituto. Antequam vero illud praestetur deferens de calumnia iurare tenetur, quod tamen iuramentum calumniae a referente ob electam a deferente probationis viam iure Ciuili exigere non potest. *l. 34. §. 1. ff. de iurei.* Tum etiam iurandum est in ipsa persona, non per mandatarium aut procuratorem *l. 12. pr. & §. 4. C. de reb. cred.* quoniam iuramentum est personalissimum quid, quod per alium expediri non potest. At tamen iuramentum per procuratorem speciali mandato instructum admittitur, si altera pars consentit. *l. 9. §. 6. ff. de iurei.* Praestari etiam regulariter solet in ipso iudicio, nisi sint personae egregiae, quibus ob dignitatem suam domi iurare permissum est, *l. 15. ff. de iurei.* aut personae aegrotantes, quae per valetudinis infirmitatem in iudicio comparere omnino impediuntur *l. 12. §. 4. C. de reb. cred.* Praeterea iuramentum est

C 2

prae-



praestandum eâ forma, qua delatum est, & quidem iuramenti formula a partibus plerumque, iudice illam probante, conficitur. *l. 34. §. 8. ff. de iurei.* Quod si is, qui iuramentum semel acceptauit, iurare recusat ex contumacia, aut omnino non comparet, iuramentum deseruisse putatur & pro confesso habetur. *l. 5. §. 4. ff. de iurei.* Si vero deferens iuramentum relatum praestare non vult aut non comparet, habetur pro conuicto & confesso, aut si iuramentum calumniae praestare recusat iuramentum principale remississe creditur *l. 34. §. 4. Et l. 37. ff. de iurei.* vid. *Hommel de poena iurare nolentium.* Et si referens in termino iuratorio non comparet, tum adhuc dubium esse videtur an iuramentum pro praestito sit habendum an vero adhuc sit praestandum. Nam dissentiunt hic Iuris Doctores vid. *G. A. Ioachimi diff. de referente iuramentum in termino iuratorio non comparente.* Quae tamen poena cessat si delatum iuramentum alteri parti ab altera vltro remittitur *l. 6. ff. de iurei.* aut si ei ob legitima impedimenta non fuit comparandi facultas, ita vt nullo modo contumax haberi possit.

De defensione conscientiae per probationem.

Cum vero ab arbitrio eius, cui iuramentum delatum est dependeat, an illud praestare & acceptare velit nec ne, non solum licet illi per Ius Ciuile iuramentum referre, vt supra vidimus, verum etiam conscientiam suam probationibus defendere per *L. fin.*

fin. C. de reb. cred. l. quodsi 71. ff. de R. V. l. 30. in princ. ff. de iurei. Quamuis vero moribus magis quam legibus introducta sit haec iuris concessio, tamen summa nititur aequitate. Nam cum nemo cogi possit, ut iuri suo renunciaret, iniustum quoque esset cogere aduersarium ad relinquendos optimos probandi modos, veluti probationem per testes & per documenta, & ad subeundam potius periculosam iuramenti delationem. Declarare vero debet is, qui hac probatione uti vult, ante iuramenti acceptationem se velle conscientiam suam probationibus defendere. Antequam tamen ipsam subit probationem, deferentem iuramentum compellere debet ad iurandum de calumnia. vid. *Stryck de cautelis Iurament. P. III. Sect. II. cap. 3. pag. 381.* Qui vero probationem pro exoneranda conscientia suscepit vel plene probavit, vel non. Si plene probavit a iuramenti praestatione omnimode liberatus est. Si non plene probavit vel semiplene tamen probavit, & tunc ad iuramentum suppletorium admittitur, quoniam is qui semiplene rem suam probavit, alias secundum usum fori regulariter ad suppletorium admittitur, vel aliquid tantum probavit, tunc aduersario a iudice purgatorium adiudicari solet; vel nihil probavit, tunc probans quidem condemnandus esset, attamen secundum praxin fere communem iterum ad iuramentum prius recusatum praestandum admittitur.



§. VII.

De Iuramento assertorio & praecipue de delatione Iuramenti sec. Ius Lubecense.

Iam ad Ius Lubecense transgredimur & quae in hoc de iuramento *assertorio* constituta sunt, nunc videbimus. Spectari vero potest hoc iuramentum secundum Ius Lubecense eadem ratione, ut Iure Civili, tanquam modus probandi legitimus. Nam ad probandam rem litigiosam iuramentum deferri posse apparet ex *l. 1. T. V. art. 15. Iuris Lubecensis* ubi constitutum est: **Wann Freunde einer verstorbenen Frauen oder Mannes Brautschatz oder zugebrachtes Gut, wiederfordern wollen, denselben müssen gemeldte Freunde beweisen, oder dem Beklagten solches zur Endes Hand legen.** Et probandi modum etiam iuramento absolui posse, expresse testatur *art. 1. l. III. Tit. IV.* ubi haec: **er soll wie, recht ist beweisen oder mit seinem Ende erhalten &c.** Quin idem sequitur ex *art. 3. L. V. T. IX.* ubi dicitur contra transactiones & res iudicatas non esse admittendam iuramenti delationem, quae tamen alias ut probandi modus spectari possit. Omnia igitur quae de modo probandi in genere in Statutis Lubecensibus disposita sunt, etiam ad modum probandi per iuramentum applicari possunt. Non vero Iure Lubecensi locum habere videtur divisio iuramenti assertorii in voluntarium & necessarium.

rium. Nam sequitur Ius nostrum antiquas leges Germanicas, in quibus nullum huius diuisionis vestigium reperimus. Apud Germanos enim omnia iuramenta fuerunt necessaria & a iudice ipso delata fuerunt. vid. *Heineccius in Elem. Iur. Germ. l. III. §. 215.* Quare etiam in Iure Lubecensi, quae de iuramento, quod altera pars probationis gratia defert, occurrunt, ex hoc principio interpretanda sunt. Ex quo sequitur, iuramentum delatum Iure Lubecensi non habere, vt apud Romanos, transactionis naturam, nec dependere a solo litigantium arbitrio. Sed imponitur potius per nostra Statuta ei, cui iuramentum delatum est, necessitas iurandi. In ipsa vero iuramenti delatione hoc singulare & a Iure Ciuili alienum est, quod Iure Lubecensi delatio ab initio causae siue ante litem contestatam fieri debeat, cum Iure Communi, vt supra annotauimus, in quacunque iudicii parte iuramentum deferri possit. Sequitur certe in hoc Ius nostrum Ius Saxonicum, nec dubium est hoc ad euitandas litium ambages introductum esse vid. *Meuius ad Ius Lubecense l. V. T. VIII. art. 2.* Potest igitur actor hic eligere, an velit initio litis iuramentum reo deferre, *auf den Eyd klagen*, an vero probationem suscipere malit. Nam electo vno probandi remedio, non amplius licet illi per Ius Lub. ad alterum confugere. Quid vero de acceptance iuramenti delati secundum Ius Lubecense dicendum.

De Acceptatione.



cendum sit, iam patet ex iis quae ante adduxi. Nam
 cum Ius Lubecense iniungit illi, cui delatum est iura-
 mentum, necessitatem iurandi, non dependet ab ar-
 bitrio eius an velit acceptare illud, nec ne, sed im-
 ponitur potius ei iuramentum ab altera parte dela-
 tum Statuti iussu & praescripto iudicis. Quare dela-
 tum a parte iuramentum non est, vt Iure ciuili, vo-
 luntarium, sed potius speciem iuramenti iudicialis ne-
 cessarii prae se fert. vid. *Meuius l. c. L. V. T. VIII.*
art. 2. n. 12. & 13. Quod ortum quidem mihi esse
 videtur ex antiquissimis Germanorum moribus, qui
 nihil vnquam nisi iubente & permittente iudice in iu-
 dicio peragebant. Ex quo etiam multis in locis ad-
 huc moris est, vt nulla suscipiatur ordinaria probatio
 nisi antecedit iudicis interlocutio vid. *Heineccius l. c.*
§. 255. Ex quibus facile colligi potest, Statuta etiam
 Lubecensia in eo differe a Iure Ciuili, quod ignorent
 omnino relationem iuramenti & probationem pro
 exoneranda conscientia. Nam necessitas iuramen-
 tum delatum praestandi his iuris remediis repugnat.
 Neque dubitandum est, haec iuris remedia a veteri-
 bus nostrarum legum conditoribus ad euitandas ni-
 mis longas lites esse praetermissa. vid. *Griebneri diss.*
de probationum quae iurisiurandi declinandi causa susci-
piuntur ambagibus. Interim apud nos in foro ex pe-
 regrinis legum fontibus hodie sunt recepta. Quare
 quae nunc in Praxi apud ea sunt obseruanda ex Statu-
 tis



tis singularibus aliisque Iuribus itemque ex Iure communi & obseruantia sunt petenda.

§. VIII.

Postquam Iure Lubecensi delatum a parte iuramentum parti per iudicis sententiam interlocutoriam iniunctum est, illud praestandum est, & quidem in termino a legibus praefixo. Ius Commune enim hic iterum differt a Iure Lubecensi. Nam Iure Ciuili nullus terminus iuramenti praestationi est positus, Iure Lubecensi autem est terminus praescriptus, cum is, cui iuramentum delatum est, proxima die iuridica, ad illud praestandum se sistere debeat, vti iubet *art. 6. l. V. T. VIII.* Wenn einem zu schweren auferlegt wird, der mag seinen Bedacht nehmen bis auf den nechsten Rechtstag, & l. 2. art. 7. er soll den nechsten Rechtstag zu schweren zugelassen seyn. Si vero iudicium ob ferias fuerit clausum, tum distinguitur inter ciuem & peregrinum, cum ciuis prima iterum die iuridica, peregrinus vero post duas hebdomades, a iudicio rursus aperto, iurare teneatur secundum *art. 2. l. V. T. VIII.* Caute ab antiquis legislatoribus nostris est prouisum, quod non in continenti postulauerint iuramenti praestationem, sed iuramentum praestituto quosdam adhuc dies concesserint. Factum hoc sane est, & ad periuria cui-

D

tan-



anda, & ad illum, cui iuramentum delatum fuit, subleuandum, quo maius deliberandi tempus haberet, quo tendunt etiam verba: *der mag seinen Besdacht nehmen* vid. *Gerdes de praecipuis differentiis Iuris Communis & Lubecensis* §. 17. In praxi vero haec non amplius locum habent, sed potius iuramentum delatum secundum obseruantiam intra 14. dies in foro nostro praestari debet. Neque etiam necesse est Iure Lubecensi, vt tamen fieri oportet Iure Ciuili, vt deferens antea praestet iuramentum calumniae, a quo Ius nostrum ideo abstinere videtur, ne nimis multiplicentur iuramenta. Superfluum etiam esset iuramentum calumniae exigere, cum iudex iam antea cognouit, an iuramentum delatum admittendum sit, nec ne, quare tum deferens, quoniam iussu & praescripto iudicis hic agit, non calumniari videtur. Nunquam vero per alium praestari potest delatum iuramentum, ne quidem per procuratorem speciali mandato instructum vid. *art. 2. § 5. T. VIII. l. V.* & quae hic annotauit *Meynus*, in Commentario suo. Ratio vero, cur Ius Lubecense praecise exigat, aliquem in persona iurare, sane ea est, quo melius eruatur veritas & quo euitentur periuria. Nam si quis ipse iurare debet tunc magis de conscientia & animae salute sollicitus erit, quam si per alium iurari patitur, tum iudicis adhortatio & ipsa iuramenti solennia illum in iudicio adhuc impellere possunt ad vera

vera dicenda. Ab hac regula excluduntur tamen Tu-
tores, qui pro minorennibus aut pupillis delatum
iuramentum praestare tenentur per *art. 3. l. I. T. VII.*
Werden Kinder nach ihres Vaters Tode umb Schuld
und andere Sachen angesprochen, haben denn dersel-
ben Vormünder davon keine Wissenschaft oder Nach-
richtung, und wird ihnen solches zur Eydes Hand
gelegt vor Gerichte, so soll ein Vormund schwe-
ren umb keiner mehr: Doch sollen sie sämmtlich das
Loos darumb werfen, auf welchen es fällt, der soll
alsdann den Eyd thun. Multa singularia conti-
net hoc Statutum. Nam iure civili tutor, si
factum solum pupillum concernit, cuius nullam ha-
bet scientiam, non iurare tenetur *l. 4. ff. de in litem
iur.*, differenda potius erit iuramenti praestatio, do-
nec pupillus ad legitimam iurantis aetatem peruenerit
l. 5. in fin. C. de rebus cred. Hic vero Ius Lube-
cense vult, vt tutores iuramento ignorantiae pro-
bent, se nihil scire de eo, cuius causa pupilli conue-
niuntur. Non vero omnes tutores ad hoc iuramen-
tum ignorantiae praestandum obligantur, sed tan-
tummodo vnus, quo nimia in iudicio euidentur iu-
ramenta. Neque etiam a iudice constituendus est
tutor iuraturus, vt alias in causis dubiis fieri solet,
quae soli iudicis arbitrio relinquuntur, sed forte eli-
gendus erit tutor iuramentum praestaturus. Prae-
terea etiam in Iure nostro est poena iurare omnino

D 2

nolen-



nolentis, aut non iusto tempore iurantis constituta. Si quis enim non iusto & a lege definito tempore iuramentum praestiterit, causam amittit, nisi a iudice dilationem impetrauerit; quod apparet ex *art. 2. l. V. T. VIII.* vbi postquam terminus ad iuramenti praestationem ante praefixus est, haec sequuntur verba: **thut er es nicht, so wird er seiner Sachen fällig, es wäre ihm dann mit Urtheil und Recht dilation gegeben.** Si vero omnino non comparet iuraturus in iudicio, nec iusta & legitima impedimenta, quibus absentiam excusare studet, adducere potest, tum iuramentum praestandum pro deserto habetur secundum *art. 5. l. V. T. VIII.* Würde aber derjenige, welcher schweren soll außbleiben, so ist er der Sachen fällig, er könnte dann wie Recht seine Eheafft beweisen, soll er den nechsten Rechtstag darnach zu schweren zugelassen seyn. De absentia autem deferentis, in termino ad iuramentum delatum praestandum constituto, leges nostrae sanciunt, vt ideo iuramenti praestatio non differatur, sed praestito iuramento, quamuis absens sit deferens, is qui iurauerit absoluitur, quod ad euitandam litis protractionem cautum esse arbitror eodem *articulo l. c.* Wann einer auf einen bestimmten Tag schweren soll, und er kommt ins Gericht dem Eyde Folge zu thun; sein Gegentheil aber nicht, so mag er gleichwohl seinen vorgehabten Eyd leisten und damit ledig seyn. Cum autem se-
secun-

cundum Statuta Lubecensia necessitas iurandi statim cum delatione iuramenti, nulla etiam ab aduersario facta acceptatione oritur; sequitur, de iuramento delato Iure Lubecensi idem valere, quod Iure ciuili ualere de iuramento delato post acceptationem. Quare cum iuramentum delatum secundum Ius Ciuile ab acceptante simpliciter praestandum sit (vid. §. 6. antec.) nisi aduersarius hoc remittat; ita etiam Iure Lubecensi delatum iuramentum est simpliciter sub poena adducta praestandum, nisi deferens illud remittere velit. Nam expresse Ius nostrum praecipit, semel remissum iuramentum nunquam posse exigi, neque eum, qui remiserit, vnquam posse accusare alterum, quod periurium commisisset, si iuramentum remissum praestitisset. Singulari potius poena illum affici uult, qui eiusmodi iniuria alterum affligere studet per *art. 3. l. V. T. VIII.*

§. IX.

Sequitur iam altera iuramenti assertorii species, *De iuramento* quod est *necessarium*, quodque aut lege aut iussu iudicis imponitur. Quod imponi potest vel quo *litem* decidatur vel non. Si iuramentum necessarium ad *litem* finiendam iniungitur, ideoque vocatur *Litis de-* *ceptorium*, vel probanti illud adiudicatur ad probationem suam haud plenam nec sufficientem confirmandam aut complendam, vel non. Si prius, vocatur

D 3

iura-



iuramentum *suppletorium*, de quo nunc differendum est. Nam in genere hoc obseruandum est, quod si quis probationem quandam in iudicio susceperit cum vel plene probauit, aut non; si plene probauit nullo iam opus est iuramento; si vero non plene probauit aut aliquid tamen probauit aut nihil. Si nihil probauit, aduersa pars absoluitur, si vero aliquid probauit, vel semiplene probauit saltem, vel plus quam semiplene, vel ne quidem semiplene. Quare probans si vel semiplene aut plus quam semiplene probauit, aduersario ad elidendam suspicionem per insufficientem probationem ortam imponi solet purgatorum vid. *Boekmer in Iure eccles. Protest. T. I. l. 2. T. 24. §. 69.* Ex quibus sequitur Iuramentum *suppletorium*, cuius fundamentum petendum est ex *l. 31. ff. de iurei. l. 3. C. de reb. cred.* Iure ciuili vim habere semiplenae probationis, Cum autem *suppletorium* tantummodo praestari possit peracta iam semiplena probatione; multum interest vt sciamus, quaenam sit semiplena probatio. Quare notandum est, cum probatio omnis praeter probationem per iuramentum, vel per testes vel per documenta fieri solet, probationem per testes semiplenam esse, si quis vnum testem omni exceptione maiorem produxerit *l. 3. C. de reb. cred.* Si vero per documenta probatio instituitur, iudici incumbit ex documentorum natura & reliquis circumstantiis eruere, an adsit semiplena probatio



batio nec ne. Admittitur autem probans ad suppletorium, vel eo ipso hoc a iudice petente, vel etiam non petente ex sola legis dispositione & iudicis iussu. Iudicis autem est, vt caute agat in deferendo hoc iuramento, cuius cognitio ardua & grauis est. Constituitur enim hic iuramentum praestaturus vt testis quasi in propria causa & saepe quidem sine voluntate & consensu aduersarii vid. *Heineccius de lubricitate iuramenti suppletorii*. Quare iudex non solum inquirere debet ante huius iuramenti delationem in omnes causae circumstantias, verum etiam in personam, cui illud deferre vult, quae nullo modo de periurio suspecta esse debet. Si autem aequales sunt rationes, cur iudex suppletorium aut purgatorium deferre possit, quod accidere potest, cum vtraque pars semiple ne probauit, aut aequalia argumenta probabilia attulit, iuramentum purgatorium suppletorio erit praefendum, quando purgatorium a reo praestari debet, cui plus fauent leges quam actori *l. 125. ff. de Reg. iur.* Quando autem probatio a reo suscipitur, vt in actione negatoria aut in exceptionibus, quas reus litis contestationi affirmatiuae subiungit, tum, si dubia est iuramenti delatio, eadem ex ratione suppletorium praefendum est purgatorio. Nam in dubio iudex pronior esse debet ad absoluendum quam ad condemnandum vid. *l. 47. de Obligat. § act. Leyser in Med. ad ff. Spec. CXLII.* Illud tamen quam
maxi-



maxime erit obseruandum, vt, quamuis vtraque pars aequalia probabilia argumenta produxerit, illi potius a iudice suppletorium deferatur, qui de veritate, quam illi, qui solummodo de credulitate iurare potest. Cum vero tales saepe existant circumstantiae, vt non certa & indubitata causae notitia ab vtraque parte haberi possit, tum semiplene probanti iuramentum suppletorium iustissime adiudicari potest. Caeterum in iuramento suppletorio est obseruandum, quod hic nec relatio nec probatio pro defendenda conscientia locum habeat, cum sit iuramentum legale seu necessarium, quod, facta a iudice delatione, necessario praestari debet *l. 31. ff. de iurei. & Stryckii cautelae iuramentorum pag. 677.* Admittitur autem iuramentum suppletorium iure ciuili in omnibus causis ciuilibus, non vero in causis criminalibus, vbi certa & plena esse debet probatio, quoniam est lubricus probandi modus. Si vero is, cui iuramentum suppletorium iniunctum est, in termino a iudice constituto non comparet, aut illud praestare recusat, iuramentum deseruisse censetur. Si vero suppletorium rite praestiterit, compensatis expensis, pro re nata condemnatio aut absolutio sequitur. vid. *Knorrii diff. de iuramento suppletorio.*

§. X.

De iura-

De iuramento suppletorio in Statutis Lubecensibus

sibus nil praescriptum inuenimus, quin potius ea hoc iuramentum reiicere videntur, vt colligi potest ex *art. 16. l. V. T. VIII.* in quo dicitur, testibus non plene probantibus reliqua remedia esse inutilia, causamque amitti. Ex quo sequi videtur, vnum idemque esse secundum nostra Statuta, an probans semiplene, an nihil probauerit; ideoque iuramentum suppletorium omnino reiici. Interim tamen per vltimum fori & per Praxin illud non solum Lubecae, verum etiam in illis locis, vbi Ius Lubecense valet, vt remedium confirmandi & supplendi probationem susceptam spectatur, & adhibetur. Quare cum in Statutis nostris nihil de hoc iuramento admoneatur, omnia quae apud illud in foro obseruanda sunt, ex Iure Ciuili & aliis fontibus hauriri debent.

§. XI.

Cum vero in Statutis Lubecensibus nihil de iuramento suppletorio occurrat, ibidem potius aliam iuramenti speciem, Iure Communi omnino ignotam, reprehendimus, quam summo iure iuramentum *assertorium simplex* siue iuramentum *affirmationis* appellare possumus, & quod germanice vocari solet *der Bekräftigungs, Bestätigungs, Eyd* de quo vid. *Stein* in den *Abhandlungen des Lübschen Rechts T. IV. pag. 306. §. 245. & seq.* Est vero natura huius iuramenti vt eo quis assertum suum, deficiente

De iuramento assertorio der Bestätigungs- Eyd quod occurrit

E

ciente



*in proba-
tione dotis.*

ciente alia probatione, confirmare possit. Quare hoc iuramentum differt a iuramento suppletorio, quod hoc iam probationem aliquam supponat, quae per subsequens iuramentum tantummodo completur, illud vero sit probationis loco, tumque iniungi possit, cum alias probatio ordinaria imponi solet. Ex quo etiam sequitur, hoc iuramentum non aliter locum habere, quam in casibus Iure nostro expresse adductis. Nam vbi tale iuramentum expresse non iniungitur, ibi regularis & per alias leges fundata probatio locum obtinet. Necessè igitur est, vt singulos casus enumeremus, in quibus Ius Lubecense iuramentum hoc assertorium praestari vult. Occurrit autem illud *l. I. T. V. art. 4.* vbi iuramento mulieris dotis illationem probari posse videmus ex verbis: *Stirbet der Mann und wollen seine nachgelassene Freunde der Frauen nicht trauen, daß ihr Braut- schatz in ihres Mannes gesammt Gut gekommen, so mag sie solches, so sie keine andere Beweisung hat, und sie eine glaubwürdige Frau ist, mit ihrem Eyde erhalten.* Potest quidem secundum Ius Commune dos vxoris per iuramentum, sed adhibita prius semiplena dotis illatae probatione, in supplementum probari. Secundum Ius Lubecense vero est singulare quoddam, quod foemina per hunc articulum, si modo sit honestae vitae & integrae famae, dotis illationem, praeuia nulla alia probatione, per iuramentum con-

confirmare possit; tum etiam in eo a Iure ciuili recedit Ius Lubecense, quod, cum secundum Ius Ciuile se ad iurandum vltro offerens suspectus habeatur, *l. 3. ff. de iurei.*, Iure Lubecensi, vt ex antecedenti articulo apparet, se ad iuramentum offerre permissum sit. Idem vero iuramentum locum sibi etiam vindicat in alienatione bonorum haereditariorum *l. 1. T. X.* *in alienatione bonorum haereditariorum l. 1. T. X.*
art. 6. Dem Erbgut zugehöret, muß bey seinem Eyde erhalten, daß er sonst kein ander Gut habe, dazu er greiffen könne. Praecipiunt enim hic leges nostrae, vt qui inopia vitae coactus bona haereditaria alienare velit, relicta omni alia summae necessitatis probatione, iuramento assertorio solummodo confirmet, sibi nulla alia, quibus vitam sustinere possit, superesse bona. Praeterea permittitur hoc iuramento vti vxori post mortem mariti existentibus adhuc liberis *l. II. T. II. art. 8.* Etenim per hunc articulum vidua, quae in possessione omnium bonorum manet, bona ista non sine haeredum consensu alienare potest, nisi summa cogatur alimentorum inopia, quam quidem inopiam iuramento probare debet, quod respondet iis, quae in *art. 6. l. I. T. X.* praecipiuntur. Quin potest etiam idem iuramentum interdum a suspicione negligentiae, culpa, doli liberare *per art. I. l. III. T. III.*
 Nam si res alicui sunt in depositum datae, & tum *in deposito.* res depositae furto, rapina, aut alio casu fortuito amittuntur, tunc depositarius tantummodo, se diligenter

gentiam in hisce rebus custodiendis adhibuisse iustam, iuramento probare tenetur, quo facto, liberatur ab omni amissarum rerum restitutione. Iure communi sine praeuia probatione iuramentum deferri non potest. *Menius* P. 3. n. 7. P. 6. d. 406. & 408. n. 2. Quare si res in depositum datae pereunt, cum vel deponens culpam depositarii allegans eam probare debet, & quidem si semiplene hanc probat, iuramento suppletorio probationem suam supplere potest; vel etiam depositarius diligentiam iustam in custodiendis rebus adhibitam esse affirmans, ad ordinariam probationem admittitur. Sed Ius Lubecense hic a Iure communi omnino recedit, cum, quo lis breuiter finitur, iniungat tantummodo depositario, nulla alia adhibita probatione, vt iustam in deposito custodiendo obseruatam esse diligentiam, iuramento demonstraret, quo ipso ab omni culpa aut negligentiae suspicione liberatur, nec alio modo se purgare opus habet, quod expressis verbis praecipitur l. c. *Rönnte er es mit seinem Eyde erhalten, so darf er dazu nicht antworten.* Eodemque modo *art. 9. l. III. T. IV.* bonae fidei possessor contra omnes rei vindicationes & petitiones securus erit, si modo iuramento probare possit, quod rem bona fide acceperit. Et secundum *art. 10.* ibidem in pignoris redemptione assertioni creditoris de quantitate pecuniae creditae fides habetur, dummodo hanc quantitatem iuramento confirmare potest.

in rei vindicatione.

in summa crediti probanda.

potest. Itemque per *art. 6. l. IV. T. I.* licet ei, qui rem propriam furto sibi ereptam vindicare vult, tam *in furto.* furtum ipsum, quam etiam dominium rei furtivae iuramento corroborare. Quamvis vero dominium rei furtivae atque eius proprietates etiam iure communi iuramento probari possit, id tamen non prius fieri potest, quam cum iam antea alio modo probatum sit ipsum furtum. Porro haec iuramenti assertorii species locum habet articulo *9. l. c.*, ubi emtionis sinceritatem iuramento emtor demonstrare potest. Si *in emtione.* enim quis rem publice in foro emit, aliusque hanc rem furtivam aut raptam esse iuramento aut alio modo probare potest, emtor tamen non potest furti argui, quin potius, quamvis venditorem non appellare nec significare possit, praestito solummodo de sinceritate factae emtionis iuramento, ab omni actione liberatur. Absolvi quoque potest simplici iuramento assertorio legitimorum impedimentorum probatio. Nam per *art. 4. l. V. T. IV.* constitutum est, *in legitimorum impedimentorum prob.* ut, si quis litigantium non iusto tempore in iudicio compareat, haud condemnari possit in poenas alias a legibus ob absentiam praescriptas, dummodo legitima sua impedimenta (*die Ehehaffte Noth*) iuramento probare possit. Notandum vero hic est, quod quamvis iuramento legitima impedimenta a parte probari possint, tamen hoc demum, deficiente omni alia impedimentorum probatione, fieri potest, quod



*in pignore
cauponi
daro.
in debito
defuncti.*

*in debito
hospitis.*

expresse docent verba articuli prioris citati: **Es würt
de der Kläger, wie recht beweisen oder schweren.**
Idem vero etiam Iure communi valere, nemo igno-
rat vid. *Meuius l. c.* ad hos articulos. Neque minus
caupo, mortuo hospite aut inquilino suo, iuramento
asserere potest, bona inquilini aut hospitis sibi esse
pignori data vid. *art. 13. l. V. T. VII.* Et secundum
art. 18. ibid. creditori etiam licet debitum defuncti de-
bitoris sui solo iuramento asserere. Imprimis vero
notari meretur exemplum huius iuramenti, quod
exstat *art. 4. l. V. T. VIII.* in quo constitutum est,
quod si caupo integrae famae, hospitem ob debitum
hospitium conuenerit, quod tamen hospes illi debere
negat, caupo tum modo probare debeat, se victum
illi praebuisse, & debitum iuramento asserere: quo
facto hospes cauponi debitum iuratum soluere tene-
tur, dummodo illud vnus anni victum non superet.
Est sane singulare quid, quod, nulla alia adhibita de
non soluto debito probatione, soli assertioni cauponis
iuramento confirmatae fides habeatur, quod omnino
Iure communi repugnat, quod nunquam soli alicuius
iuratae assertioni fidem habet. Denique etiam hoc iu-
ramentum occurrit *l. VI. T. I. art. 3.* **Es soll kein Schif-
fer eines andern Stenermann Glettsager oder Piloten
oder auch einen Bothsman abspannen, thut jemand
das, - - so soll er schweren, daß er von dem erst-
lich besprochen, bey dem er ist befunden worden.** Ex
omni-

omnibus hisce casibus vbi hoc iuramentum affirmationis in Iure Lubecensi locum habet, natura & conditio eius inductione quasi est eruenda. Quare primo ex his colligi potest, neminem ad huius iuramenti praestationem admittendum esse, qui non sit homo vitae honestae & famae integrae vid. *art. 5. l. I. T. V. & art. 4. l. V. T. VIII.* Quod quidem ideo quam maxime obseruandum erit, quoniam alias, nulla existente alia probatione, soli asserto iuramento corroborato non tanta fides esse possit. Porro ex legibus, quas adduximus, sequitur hoc iuramentum non excludere alias probationes, sed esse potius remedium probandi subsidiarium, quod tum primum suscipi debet, cum nullus alius existit modus probandi per *art. 10. l. III. T. IV. art. 6. & 9. l. IV. T. I. art. 4. l. IV. T. IX, art. 13. l. V. T. VII.* Quin cum hoc iuramentum tantummodo vt remedium iuris considerari potest, quod in fauorem hominis vitae integrae introductum est, quo is eo facilius asserta sua probare litemque finire possit, non dubium est etiam, illum hoc iuramentum recusare alioque modo asserta sua probare posse, cum cuilibet liceat fauori & iuri suo renunciare. Per se vero patet aduersario etiam concedi per reprobationem elidendi ea, quae altera pars per hoc iuramentum *affirmationis* probare studet, cum reprobatio & defensio vnique secundum nostra Statuta permittenda sit vid. *Meinius ad art. 4.*



art. 4. l. 4. T. VIII. § Stein l. c. T. III. §. 401. Non dubium vero est, quin hoc iuramentum non prius praestandum sit, quam praeuia interlocutoria iudicis sententia, cum omne iuramentum assertorium secundum Statuta Lubecensia, vt supra §. 7. vidimus, est necessarium, quod iussu & mandato iudicis deferri debet.

§. XII.

De iuramento purgatorio sec. Ius Ciuile. Iam venio ad iuramentum *purgatorium* quod iungi solet tum, cum probans non semiplene probauit, illi contra quem probationem suscipere studuit, ad suspicionem per probationem illam ortam elidendam. Requiritur igitur Iure Ciuili ad iuramentum purgatorium vt aliquid iam sit probatum, aut vt quis sit indicis grauatus, quae tamen omnia ad litem decisionem nondum sufficiunt l. 31. ff. de iurei. l. 3. C. de reb. cred. nou. 17. cap. 3. nou. 124. c. 2. Locum vero habet purgatorium & in causis ciuilibus & criminalibus, attamen tum tantum in criminalibus admittitur, cum delicta sunt leuiora, ita vt torturae contra reum nondum locus sit. Cum vero in criminalibus purgatorium admittatur, non dubium est, istud etiam admittendum esse in matrimonialibus, quae ob grauitatem suam criminalibus equiparantur vid. *Lindenberg de iuramenti delatione contra matrimonium pag. 14.* Praestationi vero huius iuramenti eadem ratione, quam suppletorii, nullus terminus est Iure

Iure Ciuili praefixus, cum sint iuramenta necessaria, in quibus iudex terminum certum aut ex officio aut ad instantiam partis constituere solet. Ex eademque ratione, quod hoc iuramentum a iudice defertur, quodque illud necessario praestandum est, nec relatio hic locum habet nec iuramentum calumniae l. 3. C. de reb. cred. l. 31. ff. de iurei. attamen cui iuramentum purgatorium a iudice delatum est, probationem pro defendenda conscientia, ad praesumptiones contrarias per eam elidendas, offerre licet. vid. *Stryck l. c. pag. 678. & Wernber T. I. Obseruat. P. IV. Obseru. 141. n. 430.* Quin etiam contra iuramentum nouae probationes, per quas illud retractari potest, siue altera pars in praestationem iuramenti consenserit siue non, admittendae sunt vid. *Wernber l. c. P. I. Obseru. 342. & Stryck diff. de probatione contra praest. iuram. leg. cap. 356.* Effectus vero iuramenti purgatorii in causis ciuilibus is est, vt, lite per istud finita, vtraque pars expensas soluat, cum nemini temeritas litigandi obiici possit, sed potius vtraque pars probabilem litigandi causam prae se ferat. In Criminalibus vero hoc non locum habet, sed ibi, is, qui purgatorium praestitit, in expensas condemnatur, quoniam vel in dolo vel saltim in culpa versari videtur, quod per indicia, quae contra illum militant, iudici inquirendi occasionem praebuerit. Caeterum si purgatorium praestaturus in termino constituto non

F

com-



compareret, nec iurare nec ad probationem innocentiae suae se offerre vult, habetur pro conuicto & confesso, de quibus omnibus vberius legi potest *Stryck in diff. de iuramento purgatorio.*

§. XIII.

De iuramento purgatorio sec. Ius Lubecense.

De iuramento purgatorio vberime agit Ius Lubecense, nec mirum est, cum Germaniam illud loco purgationum vulgarium recepisse nouimus. Nam de purgationibus vulgaribus nullum vestigium in Statutis nostris reperimus, inde non immerito colligi potest, Ius Lubecense, sicut & alia Germaniae iura, Ius Canonicum esse secutum, quod a purgationibus vulgaribus ob periculosum eorum probandi modum penitus abhorruit, & canonum conciliorumque auctoritate omnino eas aboleuit. Cum autem multa occurrant in Iure nostro iuramenti purgatorii exempla, illustrationis gratia, relictis aliis locis, prouoco tantummodo ad *art. 3. § 5. L. II. T. III. art. 3. § 4. L. IV. T. III. art. 2. § 6. L. IV. T. IV.* Respicit vero Ius Lubecense in hoc iuramento personam iurantem, dum postulat ut is, qui ad purgatorium admittatur, sit homo famae integrae & honestae vitae, secundum *art. 3. L. II. T. III.* *Giebt man einem Schuld, daß er gar nicht oder nicht recht sein Gut ver-schossset habe, ist er ein unberüchtigter Mann, so mag er sich des mit seinem Eyde entlegen, § art. 1.*

art. 1. L. IV. T. I. Da jemand eine unberüchtigte
 Persohn Diebstals oder wegen geraubten Gutes be-
 züchtigen thut - - so kan sich der Bezüchtigte mit sei-
 nem Eyde entlegen. Colebant iam antiqui Ger-
 mani quam maxime in vita humana bonam fidem in-
 tegratamque teste *Tacito annal. L. XIII, c. 54.* Per-
 fidia vero fallacia & infidelitas grauissimis ab iis poe-
 nis afficiebatur vid. *Heimeccius in I. G. l. I. §. 397. &*
l. II, P. II. §. 357. Ex quo ortum etiam est, vt Sta-
 tuta nostra tam ad commercii fauorem, quam etiam
 ad omnem iustitiam in vita humana optime colendam,
 integritatem vitae bonamque fidem in omnibus ne-
 gottiis respiciant, pro infamibus & in honestis autem
 habeant eos, qui has virtutes negligunt, ex quo et-
 iam in Iure Lubecensi totus articulus extat: *de his*
qui notantur infamia von aurrüchtigen Persohnen.
 Quamuis vero in quocunque iuramento hoc sequi de-
 bemus, vt iurans sit homo bonae fidei nec periurii
 suspectus, illud tamen praecipue in iuramento pur-
 gationis erit obseruandum: quoniam in nullo iura-
 mentorum genere maius periurii periculum est,
 quam in hoc. Nam cum existimationis, aut famae,
 aut bonorum iactura plerumque ab huius iuramenti
 praestatione dependeat; fieri facile potest, vt, si iu-
 rans non sit vir religiosus, etiam in hac summa neces-
 sitate non habeat conscientiae rationem. vid. *Leyseri*
Med. ad ff. Spee. CXLII. Med. X. Quare etiam caute



agunt leges nostrae, vt hanc circa personam circum-
 spectionem iudici adeo inculcent. Potest vero hoc
 iuramentum purgatorium secundum Ius Lubecense
 alicui imponi, non modo quando contra eum iam
 aliqua probatio suscepta est, aut quando indiciis gra-
 uatus se purgare tenetur, verum etiam cum nulla ad-
 huc contra eum existunt indicia, nullae suspiciones,
 quod quidem Iuri Ciuili omnino repugnat. Quam-
 obrem non solum purgatorium partibus a iudice pot-
 est deferri, sed etiam aliquis semetipsum ad purgato-
 rium praestandum offerre potest, quamuis nondum
 satis indiciis oneratus sit. Iure Ciuili autem vltro se
 ad iurandum offerens suspectus habetur vid. *Gerdes*
l. c. §. 19. De iis autem, qui purgatorium iussu iudi-
 cis ad remouenda indicia & tollendas suspiciones iu-
 rare tenentur, agit *articulus 4. l. IV. T. VI.* vbi de
 adulterio suspectis iuramentum purgatorium iniungi-
 tur. Differt vero in hoc articulo iterum Ius Lube-
 cense a Iure Ciuili, Nam indiciis de adulterio com-
 misso satis grauato, Ius ciuile non purgatorium de-
 fert, sed eum torturae subiicit vid. *l. fin. ff. de quaest.*
 & *Gerdes l. c. §. 128.* Defertur porro a iudice iura-
 mentum purgatorium *art. 5. l. IV. T. XII.* moneta-
 riis, approbatoribus, nummulariis vitiosum argen-
 tum habentibus, quo se, a suspicione criminis falsi
 liberent, & *art. 3. ibid.* falsas merces in urbem adue-
 hentes iuramento purgatorio innocentiam suam affe-
 rere



rere tenentur. Reliqua praetereo breuitatis gratia loca, quae idem demonstrant. Quod vero nullis existentibus facinoris suspicionibus aut malis indiciis, etiam iure Lubecensi purgatorium praestari possit, dilucide apparet ex *art. 4. L. I. T. I.*, secundum quem Senatus quotannis in translocatione membrorum suorum iuramento se purgare tenentur, quod non munera nec dona acceperint pro causis ciuitatis libertatem, iustitiam, iudicium & ius concernentibus. Et quod vltro se offerens nullis existentibus indiciis ad purgatorium sit admittendus; apparet etiam & *art. 2. L. I. T. III.* Nam potest per hunc ciuis se ab alterius seruitute iuramento purgatorio liberare. Per se enim patet nullam suspicionem contra ciuem esse posse, quod sit alterius homo proprius, cum pro quolibet, multo magis pro ciue, militat libertatis praesumptio. Idemque sequitur ex *art. I. l. V. T. VIII.* vbi his verbis: **Wenn einer beschuldiget wird, und er sich erbeut mit seinem Eyde sich der That zu entlegen**, expresse permittitur, vt quis se ad purgatorium offerre possit vid. *Meuius* ad hunc articulum *n. 4.* & ad *art. 9. L. IV. T. VIII. n. 18.* Orta sane est haec Iuri Ciuili contraria dispositio ex veterum Germanorum theoria, qui asserto hominis famae integrae omnem fidem tribuebant, receptaque est a nostris Statutis, quo tanto breuius lites expediri & finiri possent. Locum vero habet secundum Ius Lubecense purgatorium



rium & in rebus ciuilibus & in criminalibus. De rebus ciuilibus multa in Statutis exempla habemus, quare tantummodo illustrationis gratia illud afferam, quod ante iam citauimus ex *art. I. L. I. T. VIII.* vbi ciuis, qui in seruitutem petitur, purgatorio a seruitutis petitione se liberare potest. In delictis vero hoc iuramentum admitti, testatur *art. I. L. IV. T. I.*, per quem is, qui ob furtum aut rapinam commissam accusatur, iuramento se ab hac suspitione liberare potest, & *art. 4. T. II.* vbi monetario, de falsis monetis suspecto nec tamen conuicto innocentiam suam purgatorio asserere licet. Et hoc quidem iuramentum non solum deferri potest delictorum indiciis grauatissimis; verum etiam iis, qui delicto adfuerunt & ob denegatum auxilium suspecti sunt. Nam secundum *art. 6. l. IV. T. VIII.* caupo, quando homicidium inter hospites suos perpetratum est, clamorem excitare tenetur, quo excitato vicini debent auxilium ferre, aut iuramento se purgare, quod clamorem illum non audiuerint; caupo vero iuramento purgatorio firmare debet, quod homicidam detinere non potuerit. In iniuriis quoque illatis locum obtinere iuramentum purgatorium demonstrat *art. 5. l. IV. T. XVI.* in quo praecipitur, vt de verberibus alicui datis accusatus iuramento se purgare teneatur & *art. 6. l. IV. T. IV.*, qui ob iniurias illatas accusato, easque neganti, purgatorium adiudicat. Ob damnum vero illatum etiam



iam iuramentum purgatorium deferri posse docet *art. 3. l. VI. T. IV.*. Nam is qui nave sua alterius nauis damnum intulit, iurare debet se inuito hoc accidisse, quo facto ad dimidium damni illati partem restituendam tantummodo obligatus est. Si vero purgatorio se a dolo aut culpa in damno illato commissa liberare non potest, aut non vult, ad totum damnum illatum reparandum obstrictus erit. Quin *art. 4. T. VI. L. IV.* in causis etiam matrimonialibus purgatorium adhiberi posse, demonstrat, cum quoque adulterii suspectis istud deferri possit. Praeterea etiam illi, cui purgatorium iniunctum est, licet lute Lubecensi probationem pro defensione conscientiae suae offerre, ut intelligi potest, ex *art. 8. l. IV. T. IX.* vid. *Meuius ad h. a. n. 11. & art. 1. L. III. T. IV.* Si vero quis iuramentum purgatorium rite praestiterit, liberatur ab omni actione absoluiturque secundum verba *art. 2. l. I. T. III.* so ist er des Ausspruchs los & *art. 3. l. IV. T. XII.* so darf er der Strafe wegen keine Noth leyden *art. 5. l. III. T. VI.* so bleibt er ohne Ausspruch und Schaden. De expensis vero nil movent Statuta nostra, vtrum compensari debeant, ut in lute Ciuili, an non. Quare hoc ab arbitrio iudicis, aut a consuetudine dependet, aut ex aliis iuribus & Statutis, quae in foro nostro sequimur, est decidendum. De poena vero purgatorium praestare recusantis constituta sunt quaedam. Sed hic distinguere debe-



debemus vtrum alicui indiciis grauato purgatorium a iudice deferatur, an vero quis vlro se offerat ad purgatorium praestandum. Qui indiciis facis oneratus ad iuramentum purgatorium praestandum iussu iudicis impellitur, recusans hoc iuramentum ita, vt Iure Ciuili fieri solet, etiam nostro Iure pro conuicto habetur, & condemnatur secundum naturam actionis contra eum institutae. Sic *art. 3. l. II. T. III.* ob collectarum defraudationem accusatus, nec purgatorio se liberare volens, duplam collectam dare tenetur, & in senatus poenam incidit; & *art. 4. L. IV. T. VI.* adulterio suspectus iuramento se purgare haud potens, aut nolens, adulterii reus habetur & poena afficiendus est; itemque *art. 3. T. XIII.* qui falsas merces emit, & id ignoranter factum esse iurare recusans, pro mercium conditione multam soluere, mercesque comburi pati tenetur. Ex quibus omnibus sequitur, non tantummodo poenam iurare recusantis hanc esse, vt habeatur pro conuicto, quoniam iuramentum a iudice defertur ideoque necessarium vocatur, quod sine turpitudine & confessione negari non possit; sed etiam vt extraordinaria poena illi imponi soleat, quod adhuc clarius videndum est ex *art. 6. l. IV. T. I.* Derjenige nun, bey welchem das Gut befunden, muß schweren, soferne er der Strafe will entgehen, daß er nicht gewußt, daß es wäre gestohlen oder geraubt Gut gewesen, da er es empfangen,

gen, & art. 3. l. VI. T. V. Kauft jemand seetristig oder geraubt Gut, soferne er nun schweren würde, daß er es nicht gewußt, so ist er frey und das Gut ist verfallen. Si vero quis se sponte ad iuramentum purgatorium obrulerit, & tum illud praestare recusat, non habetur pro confesso & conuicto. Nam cum in hoc casu iuramentum purgatorium a solo iurantis arbitrio dependebat, nec ab initio praestari necesse erat, recusans non potest cogi ad illud praestandum, quare etiam ordinaria iurare nolentis poena haud affici potest. Interim tamen quoniam iudicium eluisse videtur, & quod incaute & indeliberate se ad aliquid obrulit, quod praestare non potest, merito arbitrarie a iudice est puniendus, quod etiam praecipit art. 1. l. V. T. VIII. Wenn einer beschuldigt wird, und er sich erbeut mit seinem Eyde, sich der That zu entlegen: will er alsdenn seinem Erbiten nicht nachkommen, so ist er dem Gerichte in die Strafe gefallen. Haec de iuramento purgatorio secundum Statuta Lubecensia. Quamvis vero in praxi per consuetudines & alias leges multa sint mutata & abrogata, ea tamen hic recensere instituci ratio non permittit.

§. XIV.

Quare iam exponemus aliam iuramenti necessa- *De Iura-*
rii speciem, dico *iuramentum in litem*, quod etiam *mento in*
G suo



*litem sec.
Ius Civile.*

suo modo iuramentum litis decisorium appellari meretur, cum ad litem decidendam in foro adhibeatur. Est vero iuramentum, quo causam in litem deductam aestimamus vid. *tit. ff. de in litem iurando*. Hoc autem iuramentum in locum probationis deficientis iungitur, quare est probatio subsidiaria; vbi enim alia adest probatio, ad iuramentum in litem non est confugiendum vid. *Leysler in Med. ad ff. Spec. CXLVI*. Tum vero rite demum hoc beneficio aliquis vti potest, cum res praestanda, nec potest in specie praestari, nec plene aestimari. Quare proprie tantummodo locum habet, quando species aut individuum, non vero si res in genere est praestanda, nisi in actionibus id quod interest spectantibus *l. 18. pr. de dolo malo l. 7. si seru. vind. & in reparatione damni illati l. 15. §. 9. quod vi aut clam. l. 9. C. vnde vi*. Est igitur hoc iuramentum beneficium, quod tantummodo auctori competit, cum dolo aut culpa rei factum sit, vt res ipsa non restitui possit. Diuidi autem illud solet Iure Ciuili in iuramentum *veritatis* & *affectionis* *l. 2. §. 1. ff. h. t. & l. 9. ff. de act. rer. amot.* Nam si res in iudicium deducta iuramento aestimatur, aestimatio rei fieri solet vel secundum pretium in vita communi vsitatum, & tum dicitur iuramentum *veritatis*; vel secundum valorem, quem auctor ei ex affectione tribuit, tumque vocatur iuramentum *affectionis*. In eo autem differunt hae iuramenti in litem species;

species, quod iuramentum affectionis, cum ex arbitrio actoris ad puniendum dolum & contumaciam rei deferatur, nulla adhibita vera rei aestimatione, locum tantummodo habeat, si reus in dolo aut culpa lata versatur. Veritatis iuramentum autem etiam ob culpam leuiorem & negligentiam iniungi potest *l. g. ff. de in litem iur.* Tum quoque in iuramento affectionis hoc erit obseruandum, vt res sit talis, quae admittat pretium affectionis, quare res debet esse species aut indiuiduum, non vero res fungibilis vid. *Thomasius de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.* Non vero dubium est, in vtroque iuramento iudicem summam aestimationis moderare posse, ne in immensum quis iuret *l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. l. c.*, ad quam quidem moderationem periti rerum taxatores a iudice adhiberi solent. *Leyser in dist. de discrimine iurisiurandi affectionis in infinitum ac in immensum Viteb. 1736.* Non opus vero erit, vt de iuramento in litem vberius agam. cum in Iure Lubecense nihil de eo occurrat, sed in eius locum simile quoddam iuris beneficium, nempe iuramentum minorationis introductum sit, de quo nunc agam.

§. XV.

Iuramentum *Minorationis* seu *Minutionis* (der *De Iuramento mi-*
Verminderungs = Eyd) quod Iure Ciuili ignotum *mento mi-*
 est, e Iure Saxonico originem traxit, quod adparet *norationis*
 aus

G 2



sec. Ius Lubecense.

aus der Churf. Sächf. Proc. Ordnung Tit. XXXI.
 §. I. Es ist vermöge sächsischer Rechte und darauf
 eingeführten üblichen Gerichts-Brauch demjenigen,
 welcher um zugefügten Schaden willen klaget, frey-
 gelassen, daß er solchen seinen Schaden selbst anschla-
 gen möge, dergestalt und also, daß der Beklagte die-
 selben, entweder mit seinem Eyde vermindern, oder
 sie von dem Kläger angegeben erstatten muß. Qua-
 re praesumendum est legislatores Iuris Lubecensis
 hoc iuramentum ex Iure Saxonico recepisse. Est au-
 tem iuramentum *minorationis* iuramentum necessa-
 rium, quo reus summam rerum cum damno & eo
 quod interest ab actore aestimatarum & cuius caus-
 sa ab actore in iudicio est conventus diminuit.
 Ex quo facile perspici potest in quo differat hoc
 iuramentum a iuramento in litem romanorum.
 Nam in iuramento *minorationis* iurat reus de
 pretio rei in litem deductae, quamvis actor illam an-
 tea aestimauerit. In iuramento in litem vero iura-
 mento confirmat actor rei ab illo aestimatae pretium
 vid. *Dietmar de iuramento minorationis*. De hoc au-
 tem iuramento *minorationis* praescribit Ius Lubecen-
 se art. 16, l. III. T. VIII. quod, si quis rem pro mer-
 cede elaborandam accepit eamque amisit, is tum aut
 rem amissam restituere debeat aut aestimationem iu-
 stam secundum bonorum & peritorum virorum ar-
 bitrium solvere teneatur, si vero partes in eo nondum

dum acquiescere vellent, quod tum reus, aut ille, qui operas suas locauit, iuramento asserere possit, rem amissam non maioris pretii fuisse, quam ille eam aestimauerit, & quantum ille dare offerat: quo facto lis decisa est. Ex quibus sequitur, iuramentum minorationis Iure Lubecensi, eodem modo, quam iuramentum in litem iure ciuili, tantummodo in subsidium, alia probatione deficiente, iniungi debere. Nam confugiendum tum primum est ad hoc iuramentum per articulum citatum, quando res nullo modo restitui nec bonorum & peritorum virorum taxatione aestimari, aut alio modo verum pretium erui possit. Nescio igitur qua ratione *Stein l. c. T. IV. p. 318.* contrarium affirmare, & hic differentiam inter iuramentum in litem Romanorum & hoc iuramentum statuere cupiat. Occurrit etiam idem iuramentum *art. 3. l. III. T. IX.* qui praecipit, quod si vnus fratrum aut sororum in communione viuentium, societatis nomine conueniatur, tum conuento permissum sit, reliquis fratribus sororibusque dare quantum velit, si modo iuramento asserat se omnia offerre, quae ex communione debeat, nec ad alia praestanda obligatum esse. Iterum patet ex his, quantum olim leges Germanicae, ideoque etiam Lubecenses, integritati hominum & sinceritati fidem habuerint. Nam idem occurrit in hoc iuramento minorationis, quod iam semel obseruauimus, quod-



que Iuri Ciuili repugnat, nempe iuratae alicuius assertioni in propria causa tantam fidem haberi. Tum etiam ex hoc iuramento perspiciendum est, quantum legislatores Lubecenses studuerint breuitati litium decidendarum. Quid enim est aptius, ad ambages processus in eiusmodi re dubia euitandas, quam iuramentum minorationis? Quod breuitatis studium etiam ex ipsa iuramenti minorationis delatione elucet, cum secundum Ius Lubecense non opus sit, vt quis dolum, culpam, negligentiam ante demonstret, quam ad illud admitatur, quod tamen Iure Ciuili in iuramento in litem fieri debet. Quamuis vero non plura, quam haec duo iuramenti minorationis in Statutis Lubecensibus exempla reperimus, non iniuste tamen est praesumendum, hoc iuramentum olim etiam in omnibus aliis causis, vbi de pretio rei aut summa praestanda lis fuerit, in usu fuisse vid. *Stein l. c. P. IV. §. 254. pag. 315.*

§. XVI.

De iuramento testimoniali sec. Ius Ciuile.

Vltima denique iuramenti assertorii necessarii, quo lis directe decidi potest, species est iuramentum testimoniale? quod iniungitur testibus ad testimonium suum confirmandum. Potest nimirum etiam secundum Ius Ciuile probatio per testes peragi. Quo vero magis eiusmodi testium asserto fides adiungi possit, expresse

expresse hoc iuramentum a testibus postulat *l. 9. C. de testibus*. Quare hodie nullus testis sine iuramento ad testimonium dicendum admitti solet, nisi pars aduersa illud remiserit, *art. 5. l. 26. de Re Iud.* sed necesse est iure communi, vt testes producti iuramento afferant, se veritatem dicturos esse de rebus istis, super quibus interrogati fuerint, nec odio, aut amicitia, aut commodo se inductos esse ad testimonium illud dicendum. Hoc igitur iuramentum testimoniale praestare debent omnes sine discrimine *l. 15. § 19. C. de testibus*, etiam Clerici, *c. 39. § 51. X de test.* quorum simplici testimonio non fides habetur. Neque etiam officiales sub iuramento ab initio officii, aut ciues sub iuramento ciuitatis praestito, ab hac iurandi necessitate liberari posse, docet *Stryck in cautelis Iuramentorum P. II. S. I. C. V. pag. 219.* *Lexserus* vero officialibus publicis, imprimis de re sua ad officium spectante testificantibus, sine iureiurando credi, affirmat *spec. 288. Med. III.* Praestari autem debet hoc iuramentum publice in ipso iudicio, nisi sint personae egregiae singulari priuilegio munitas, aut nisi sint tales, qui ex iusta causa in iudicio comparere impediuntur *l. 15. ff. de iurei. & l. 3. §. ult. l. 8. § l. 19. ff. de test.*, quare eiusmodi personae coram deputatis a iudice ad eorum aedes missis, iuramentum testimoniale dare solent. Necesse vero est, vt testes iuramentum suum praestent antequam testimonium suum per-



perhibuerint, *l. 9. pr. C. eod.* quoniam maiori diligentia & circumspectione ad interrogata respondebunt ex periurii metu, si ante depositionem iurauerint. vid. *Hertelii diff. de iuramento testium praepostero pag. 24. Et 26. & Leyserus Spec. CCLXXXIIX. Med. XI.* In termino autem productionis a iudice ad iuratum testimonium deponendum constituto, ad quem etiam aduersarius ad videndum iurare citari solet, *l. pen. C. de test. l. 18. C. de fide Instrum.* necessario comparere debet testis citatus, & iurare tenetur. Si autem non compareret, ad instantiam producentis a iudice arctius citari solet. Si autem iuramentum praestare recusat, iudex illum cogere & ob contumaciam arbitraria poena afficere potest, per *arg. l. 1. ff. si quis Ius dic. non ob.* Quamuis enim a litigantibus quidem ipsis iuramentum remitti possit, *arg. l. 26. de re iud. & c. 39. X. de testibus* hoc tamen iudici non licebit, quia Ius Civile vult neminem iniuratum admitti *l. 9. C. de testibus*, iudex autem secundum leges iudicare tenetur. Et cum iuratum testimonium ad ambarum partium interesse spectat, & in harum fauorem introductum est legibus, nulla inuita iuramentum vnquam remitti potest, sed vtriusque potius consensus ad remissionem requiritur.

§. XVII.

De iur.

Iuste etiam in iudicio Lubecensi probationem per-

poragi posse per testes, totus demonstrat *Tit. VII. L. V. de testibus*. Nec etiam, eodem modo, vt iure Ciuili cautum est, in iudicio Lubecensi testes sine iuramento admitti possunt, quoniam iuramentum est principale validi testimonii requisitum, per *art. 11. L. V. T. VIII. Es soll kein Zeuge, wes Standes er sey, ohne Eyd zugelassen, noch ihm einiger Glaube beygemessen werden*. Quamuis enim testes etiam extra iudicium coram notario possint interrogari atque testimonium suum deponere, haec tamen extrajudicialis depositio plenam in iudicio non efficit probationem, quod apparet ex *Statutis Hamburgensibus P. I. T. XXVIII. art. 28. Und dieweilen ohne Eyd- Leistung der Gezeugen- Aussage zu Recht nicht gültig seyn, so sollen hinführo der Zeugen Aussage, welche vor den Notarien aufgenommen, in unserm Gericht nicht attendiret, sondern gänzlich verworffen werden*. Debent vero omnes, cuiuscunque conditionis sint, ad iuramentum testimoniale admitti, modo sint famae & vitae integrae secundum *art. 4. § 17. l. c.* in quo ius Lubecense differt a iure Ciuili. Nam ius Ciuile infamia laborantes non simpliciter a testimonio dicendo excludit, sed certas tantummodo personas infamia laborantes & in casibus certis a iurato testimonio repellit *l. 3. §. 1. l. 13. 21. pr. ff. de testibus*. Ius vero Lubecense per allegatos articulos infamia laborantes simpliciter a iurato testimonio excludit.

H

terim



terim admittuntur etiam in subsidium ad iuramentum testimoniale domestici, de rebus noctu factis, quibus nemo alius interfuit, & postquam domesticum seruitium reliquerunt de rebus tempore seruitii sui domestici gestis, testificantes. vid. *art. 5. T. VII. l. V.* Eademque ratione cognati, agnati, tutores, ad iuratum testimonium adhiberi possunt: quando, deficientibus aliis testibus, res non aliter probari possit. *sec. art. 17. & 20. l. c.* Excluduntur vero expresse a iuramento testimoniali & ab omni testimonii prohibitionem illi, qui in aliqua causa consilium dederunt, aut operam nauarunt, vt aduocati, procuratores, negotiorum gestores, per *art. 15. l. c.* Praestari vero debet regulariter secundum nostra Statuta iuramentum testimoniale, ita vt iure Ciuili, in iudicio praeuia citatione, a qua regula tamen eximuntur aegroti, ad quos, iubente iudice, Secretarius iudicii mitti solet, qui testibus examinatis & iuramento super depositionem praestito, aut in iudicio aut coram senatu refert, quae testes praeuio iuramento & examine attestati fuerint, vid. *art. 12. l. c.* Porro etiam iure Lubecensi, vt valet iure Ciuili, testes iurare tenentur ante depositionem, ad quam sine iuramento admitti prohibentur, *articulo 11. l. c.* vid. *Meuius ad b. t. n. 6.* Praeterea certi termini in legibus Lubecensibus sunt constituti, in quibus testes iuratum testimonium prohibere debent, in quo recedunt a iure Ciuili, quod dila-

dilationes iudicis arbitrio relinquit, quare secundum illud terminus productionis plerumque a iudice praefigi solet. Sed Ius nostrum *art. 9.* expresse praecipit, vt producenti ad producendos testes, qui in ipsa prouincia commorantur, concedatur dilatio quatuordecim dierum; ad producendos autem peregrinos qui sunt extra prouinciam, terminus saxonicus siue dilatio sex hebdomadam & trium dierum tribuatur; ad producendos vero eos qui sunt in locis transmarinis anni spatium detur. Non vero dubium est hunc terminum a tempore latae sententiae computandum esse. vid. *Stein l. c. T. III. pag. 255.* Quin etiam hic terminus, parte producente perente, prorogationem minime respuit. Si autem producens hunc terminum probatorium neglexit, tunc, quoniam est terminus peremptorius, probationem neglexisse censetur. In isto vero termino productionis etiam citandus est aduersarius secundum Statuta Lubecensia *art. 8. l. c.* ad videndum iurare testes. Citata vero aduersa parte, nec tamen comparente, examen testium peragitur, iuramentum praestatur & ad vltiora, quae iuris sunt, proceditur. Qui autem examine testium rite facti & praestito iuramento non probat, quae probare studuit, causa cadit, per *art. 16. l. c.* Iuramentum vero testimoniale necessario etiam a testibus, ita vt Iure Ciuili, est praestandum, nec a iudice remitti potest, sed remissio iuramenti a solo par-




tium consensu, maxime producentis, dependet secundum Ius Lubecense *art. 11.* Es soll kein Zeuge, wes Standes der sey, ohne Eyd zugelassen, noch ihm einiger Glaube zugestellet werden, es wäre denn, daß sich des Zeugen = Eydes der Producent begeben, sonsten soll er des von dem Richter nicht erlassen werden.

§. XVIII.

De Iuramento calumniae sec. Ius Civile.

Iam pergo ad alteram iuramenti necessarii speciem, quod indirecte ad litem decidendam, aut, ut ita loquar, ad punctum incidens tollendum spectat, quo pertinet imprimis iuramentum *calumniae*, quo quis declarat se nihil facere alterum vexandi causa, & promittit se litem bona fide prosequi velle *l. 34. §. 4. & l. 37. ff. de iureiur. l. 2. C. de iurei. propt. cal.* Remouet igitur hoc iuramentum omnem malitiam a processu, deferrique solet a iudice vel ex officio, vel ad instantiam partis. Requiritur tamen, ut adsit calumniae suspicio *l. 8. §. 5. qui satisd. cog.* & tunc necessario est praestandum, nec a iudice remitti potest. *l. 2. C. de iur. propt. cal.* Non vero tantummodo deferri potest parti; verum etiam aduocato, procuratori, curatori & tutori *l. 14. §. 1. C. de iud. l. 2. §. 2. C. de iur. propt. cal.*, & locum habet in qualibet iudicii parte vid. *Menius P. 1. Decif. 138.* Liberati vero sunt a praestatione huius iuramenti illi, quibus debetur reuerentia, *l. 7. §. 3. de obsequ. parent.* nisi a iudice ex officio

officio delatum fit. *l. 34. §. 4. ff. de iurei.* Diuidi autem so-
let iuramentum calumniae in *generale & speciale*. *Generale* *Generali.*
Iure Ciuili magis vsitatum est, quam *speciale*. Nam cum
per iuramentum speciale lites nimis protrahi videret *Iusti-*
nianus, generale in locum specialis introduxit. Per iura-
mentum autem calumniae *generale* pars declarat, quod per
totam litem omnia bona fide prosequi velit, cuius formula
exstat *auth. in isto iuramento C. de iurei. propt. cal. Nou. 49.*
Praestari vero debet hoc iuramentum ab initio processus
post lites contestationem, neque remitti potest. Attamen
quaedam personae eximuntur quae ad illud praestandum
non obligatae sunt, vt aduocati & procuratores filci *Me-*
uius P. VI. Decis. 138., itemque consilarii principum, tam
ob reuerentiam eorum principalibus debitam, quam ideo,
quod ex officio agunt & iam iuramento officiali obstricti
sunt. Iuramentum calumniae *speciale*, quod super quocun- *Speciali.*
que actu pendente lite, quando calumniae suspicio oritur,
exigi potest, non quidem Iure Ciuili omnino est ignotum
l. 34. §. 4. ff. de iurei. attamen post generalis praestationem,
quod magis vsu venit Iure Romano, pro superfluo habe-
tur, nec est repetendum *nou. 49. cap. 3. §. cap. vlt.* Appel-
larij etiam solet iuramentum *malitiae & deferri* potest a iudi-
ce tam ex officio quam petente illud etiam parte. Quem-
admodum vero generale semel tantum in processu, sic spe-
ciale persaepe pro arbitrio iudicis exigi potest. In Saxo-
nia vbi ad euitandam periuriorum frequentiam *generale* ab-
rogatum est, hoc *speciale* imprimis obtinet. Caeterum de
iuramento calumniae in genere est obseruandum, quod
quidem liberet a calumnia, non vero a temeritate litigandi
l. 79. de iudic., quoniam ad calumniam dolus, ad temerita-
tem litigandi autem tantummodo culpa requiritur. *Quam-*



uis enim aliquis iura ignorans, aut affectibus commotus, credere quidem possit, se bonam habere causam, omnesque, ita ut iuramento promissit, euitet calumnias, tamen a temeritate litigandi non liber erit. Quare etiam praestatio iuramenti calumniae per se non liberat ab expensarum solutione. Si vero quis iuramentum calumniae a iudice delatum praestare recusat, vel erit actor, & tum causa cadit reusque absoluitur *l. 2. §. 6. C. de iur. propt. cal.*, vel reus, qui pro confesso habetur, vel tertius, ut procurator aut aduocatus, qui aut multa pecuniaria a iudice punitur, aut ab officio suo remouetur. vid. *Wernber l. c. T. III. P. IV. Obs. CLI. pag. 904.*

§. XIX.

De Iuramento calumniae sec. Ius Lub.

Quamuis Iure Lubecensi obtineat iuramentum calumniae tam *generale* quam *speciale*, in eo tamen peregrinas magis, quam nostras, sequimur leges, cum Statuta nostra nil singulare de hac iuramenti specie afferant. vid. *Stein l. c. pag. 323.* Quare si scire cupimus quid in hac doctrina apud nos iuris sit, ad Ius commune & Praxin confugere debemus. Hoc vnicum tantummodo admonebo, quod *l. V. T. II. art. 5.* iniungatur procuratori iuramentum calumniae generale ab initio officii praestandum, quo promittere debet, se nec cursum iudicii impedire, neque aliam causam, quam de cuius iustitia & bonitate persuasus sit, tueri velle.

§. XX.

De Iuramento appellationis in genere.

Ut species iuramenti calumniae non immerito considerari potest iuramentum *appellationis*. Nam cum iuramentum calumniae in genere spectet ad omnem calumniam in

in tota lite remouendam, iuramentum *appellationis* eo tendit vt malitia in appellando euitetur. Hoc autem iuramentum, quod introductum est in foro communi per *rec. Imp. de a. 1654. §. 117.* obligat appellantes, vt non malitiose, sed potius de causae suae bonitate & iustitia certo persuasi, ad appellationem confugiant. Praestari vero debet hoc iuramentum tam a parte appellante, quam ab eius Aduocato sub poena desertionis per eundem *recess. §. 118.*, & quidem coram iudice, ad quem appellatur, nisi priuilegium adsit, vi cuius istud iuramentum coram iudice a quo praestandum est. Huius autem iuramenti secundum Ius Lubecense natura, optime ex eius formula praescripta, quae exstat *l. V. T. X. art. un.* perspicui potest, cuius verba haec sunt. Ich lobbe und schwere, daß ich von eines erbarn Rath gesprochener Urtheil nicht gefährlich oder meiner Widerparthey Gerechtigkeit zu verhindern appellire, und nichts anders wisse oder verstehe, denn daß ich eine gute gerechte Sache habe, und mir nach Sazung der Rechte nöthig sey, meine Gerechtigkeit zu beschirmen, und weiter Recht zu suchen, daß auch derselben appellation, wosern ich mich mit meinem Gegentheil nicht vertragen würde, in gesezter Zeit der Rechten, nach meinem besten Vermögen will nachfolgen ohne Beserde. Ex quo sequitur, appellan-tem iuramento asserere & promittere debere 1) quod non mala fide agat contra aduersarium 2) credat se bonam & iustam habere causam 3) quod appellationem rite prosequi velit. Caeterum ex priuilegio appellationis a *Maximiliano* Lubecensibus primum concessio, quod postea Carolus V. & Rudolphus II. confirmarunt, & quoad summam appellabilem tantummodo mutarunt, quodque antecedenti articulo adiunctum est, haec annotabimus, quod soluto antea floreno Lubecensi, coram Senatu Lubecensi, hoc iuramen-
tum



tum praestari debeat. Quin per idem privilegium is, qui in appellatione aduersario per pignora aut fideiussores debitam cautionem praestare non potest, iuramento & cautione per carceres (*Verhaftung seines Lebens*) se obligare tenetur. Praeterea hoc privilegio cautum est, ut appellatio, antea, quam praestitum fuerit iuramentum appellationis, non admittatur, sed, eo non rite praestito, Senatus statim ad executionem procedere possit. Ex quo fluit ad appellationem confugientem ante omnia se ad praestandum iuramentum appellationis offerre debere, ne hoc remedium & beneficium negligentia sua amittat.

§. XXI.

*De periurio
cuiusque poe-
na.*

*Sec. Ius Ci-
uile.*

*Sec Ius Lu-
becense.*

Haec quidem sunt, quae pro instituti ratione & ingenii facultate de differentia iuramentorum secundum Statuta Lubecensia & Ius Civile describere mihi licuit. Restat, ut adhuc pauca de periurio afferam. Est vero *periurium* si quis ex dolosa intentione alterum fallendi, adhibito iuramento falsum profert. Ex quo sequitur, cum omne iuramentum supponat inuocationem vindictae diuinae, periurum laedere & diuinum numen, cum id contemnere videtur, & alios homines, quibus periurio suo damnum inferre cupit. Quare etiam grauis in periurium poena legibus apud omnes gentes est constituta. Ius Civile vero poenam periurio inferendam non certam & determinatam tradit, *l. 2. C. de iurei.* sed eam ex grauitate damni alteri illati & ex iuramenti solennitate aestimare & taxare solet, cum modo periurus fustibus castigatur, *l. 13. §. ult. ff. de iurei.* modo infamia & multa pecuniaria afficitur, *l. 41. C. de transact. l. pen. C. de dignit. vid. Wichmannshausen diss. de periurio iudiciali.* Ius Lubecense vero certam periuris determinauit poenam, quae est infamia iuris, cum inhonestos & infames haberi vult eos, qui peierauerint. *art. un l. IV. T. XIV.* Welche falsch geschworen haben und meynendig worden, die sollen andern ehrlichen Leuten nicht gleich, sondern anruechtig gehalten und gerichtet werden. Sequitur in hoc Ius nostrum Ius Canonicum quod praeter infamiam etiam excommunicationem periuris adsignat. Hodie vero, cum in criminalibus constitutionem criminalem Carolinam sequimur, in foro nostro periuri etiam varie pro huius delicti grauitate puniri solent.



V.D.
18

ULB Halle 3
007 662 947




4.

1764, 3 / 9

DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS
 DE
 DIFFERENTIIS IVRIS
 CIVILIS ET LVBECENSIS
 IN
 ARGVMENTO
 IVRAMENTORVM

QVAM
 ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
 INDVLTIV

PRO
 SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
 RITE ADQVIRENDIS


IN AVDITORIO SOLENNI

D. MAII CIOIOCCCLXIV.

PLACIDO PROCERYM ACADEMIAE
 EXAMINI SVBMITTIT

IOANNES CASPARVS
 LINDENBERG

LVBECENSIS.



GISSAE,
 APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN

